

bile quia multa species differunt que non possunt continuari ex sexto phis. Item multa sunt mobilia que sunt contraria ut album et nigrum ergo non possunt continuari.

**Tertio.** Si celum et elementa continuarentur vel illud totum continuum moueretur motu recto vel motu circulari. Forte dices quod antecedens est impossibile et ad impossibile sequitur quodlibet. Et ideo si ita fieret celum moueretur et non moueretur. Contra tunc destruitur ratio philosophi quia eodem modo dicitur quod casus suus non est admittendus sed ipso posito sequuntur contradictoria. Et ideo casus ille impossibilis nichil probat efficaciter nec de facto sicut nec per aliud antecedens impossibile aliquid propter de facto ita esse.

**Quarto** arguitur contra solutionem quia dictum est quod omnia mobilia et mouentia secundum quod sunt continua et corporalia possunt continuari non autem secundum proprias naturas. Contra possibile posito in esse nullum sequitur inconueniens. Si ergo primum est possibile ponatur in esse. Item scriptus Thoma articulo precedente dixit post auicennam quod ad hoc quod propositio simpliciter sit impossibilis sufficit quod predicatum repugnet subiecto ratione differentie specificae licet non ratione generis. Et ideo ista est impossibilis homo est irrationalis ergo et ista celum et elementa continuantur. Item frustra est potentia que nunquam reducitur ad actum. Sed nunquam omnia mobilia sunt continua ergo falsum est quod possunt esse continua considerando ea in quantum sunt corpora. Hic queritur an argumenta Aristotelem aliquando procedant ex falso et impossibili et videtur quod sic ex quarto phis. ubi probat quod tempus non est motus celi quia si essent plures celi essent plures motus tamen esset unum tempus. Contra falsum nihil probat. Item accidens multiplicatur per subiectum ergo si essent plures celi saltem primi negative essent plura tempora contra phi.

**Quinto** dato quod infinita mobilia uniantur simul non sequitur quod motus infinitus fiat in tempore finito. Tum quia in quolibet continuo sunt infinite partes mobiles unite. Tum quia corpus album licet esset infinitum tamen posset habere albedinem finitam ergo et motum finitum intensiue infinitum autem extensiue videtur posse esse in tempore finito.

**Ad primum** dicitur quod in mouentibus et motis simul actu existentibus non proceditur in infinitum vel dicitur quod non essentialiter subordinantur secundum actum sed secundum potentiam successionis. Et si dicatur omne mouens philosophi mouetur et non a se ergo ab alio dicendum quod ille alius est deus qui non mouetur. Nec est philosophice considerationis nisi in ratione mouentis acceptus. Et per hoc patet ad aliud.

**Ad secundum** dicitur forte quod illi contra quos arguit philosophus non ponerent distinctionem specificam inter res. Et ideo apud eos predicta continuatio non esset impossibilis. Vel dicitur quod possibile capitur pro non repugnare. Et sic dico quod hec est vera possibile est id est non repugnat corruptibile et in corruptibile continuari in quantum sunt corpora nec ut sic specie differunt vel contrariantur.

**Et per hoc** patet ad tertium et forte illud auicenne de impossibili. S. T. tantum recitatiue dixerat. Deinde dicitur quod aristoteles arguit ex uno impossibili inferendo magis impossibile et causa illius magis impossibilis est processus in infinitum in mobilibus et non predicta continuatio.

**Ad quartum** dicitur quod possibile id est non repugnare ut sic non ponitur in esse.

**Ad quintum** patebit primo de celo.

**Tertium** sic proceditur videtur quod non omne mouens simul sit cum eo quod mouetur quia celum mouet hec inferiora et tamen non est simul cum ipsis ergo. Item arguit albertus color mouet visum. Similiter cum quis debet percuti licet nondum percutatur tamen timet. Timor autem est passio igitur antequam mouens sit cum moto mobile mouetur. Sed contra est philosophus.

**Respondeo** dicendum quod duplex est mouens scilicet metaphoricum ut est finis aliud proprie dictum quod est principium unde motus. Et illud est duplex scilicet remotum et aliud proximum et de isto intelligitur questio. Preterea notandum quod tres sunt species motus proprie dicti scilicet ad quantitates ad qualitatem et ad ubi. Ad qualitatem scilicet de tertia specie qualitatis solum quia qualitates de tertia specie sunt vere contrarie per se intensibiles et remissibiles et extrinsecus subiecto aduenientes subiecto manente eodem in substantialibus in alijs vero non ergo ad ipsas est et non ad alias.

**Notandum** preterea quod omnis motus localis aut est a principio intrinseco ita quod illud quod mouetur a seipso mouetur licet non primo aut a principio extrinseco et hoc quatuor modis. Nam illorum aliquis dicitur pulsio alius tractio alius vectio et vertigo. Et omnes alij motus locales ad istos reducuntur. Pulsio est motus a mouente quo tamen utitur mouens a seipso ad aliud. Vel sic pulsio est motus violentus quo violentatum a violentate recedit. Et diuiditur per impulsionem et expulsionem impulsio est quando mouens ei quod mouetur non deficit. Sed semper est cum eo simul. Expulsio est quando mouens deficit ei quod mouetur ita quod ipsum non semper concomitatur usque ad finem motus. Tractio vero diffinitur oppositio. Nam pulsio et tractio sic differunt quia in pulsione mouens se habet ad mobile ut terminus a quo est motus eius in tractione vero se habet ut terminus ad quem. Et ideo illud trahere dicitur quod mouet alterum ad seipsum. Mouere autem aliquid secundum locum ad seipsum tripliciter contingit uno modo sicut finis mouet unde et trahere dicitur secundum illud poete trahit queque sua voluptas et hoc modo potest dici quod locus trahit id quod naturaliter mouetur ad ipsum. Alio modo potest dici aliquid trahere quod mouet id ad seipsum alterando aliquam ex qua alteratione patitur quod alteratum moueat secundum locum. Et hoc modo magnes dicitur attrahere ferrum sicut ei generas mouet graua et leuia in quantum dat eis formam per quam mouentur ad locum ita et magnes dat aliquam qualitatem ferro per quam mouetur ad ipsum. Et hoc sit verum patet ex tribus. Primo quod magnes non trahit ferrum ex quacumque distantia sed ex proprio. Si autem ferrum moueret ad magnetem solum sicut ad finem sicut graue ad suum locum ex qualibet distantia tenderet ad ipsum. Secundo quod si magnes alijs pertrahatur ferrum attrahere non potest quasi alijs vi alterationem ipsius impeditibus. Aut etiam in contrariis alterationibus. Tertio quia ad hoc quod magnes attrahat ferrum oportet primum ferrum liniri cum magnete. Maxime si magnes sit paruus quasi a magnete aliquam virtutem ferrum accipiat ut ad eum moueat. Sic igitur magnes attrahit ferrum non solum sicut finis sed etiam sicut mouens et alterans. Tertio modo dicitur aliquid attrahere quod mouet ad seipsum motu locali tantum et sic diffinitur hic